



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118669

§. 79. Papæ Nuntius in Franciam decretus unacum comminatione
adversus Regios.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)

Sæcul XVI.

A.C. 1591.

~~REPRODUCTION~~

„mi Pontificatus dignitatem gratule-
 „tur, suumque obsequium præstando
 „magis articulatim totum rerum statum
 „Sanctitati vestræ ob oculos ponat, pro-
 „ut brevi futurum spero, præcipue si
 „Sanctitas vestra benigno responso me
 „honorare, præfatamque legationem
 „sibi gratam iore, testari dignabitur:
 „denique oro, & obsecro, ut Sanctitas
 „vestra sibi firmiter persuasum habere
 „velit, a me scripta omnino esse sin-
 „cera, ac duntaxat dictata ab ardenti
 „Zelo, quo pro Religionis bono, ac
 „tranquillitate me accensum sentio,
 „quem æque, ac submissionem Sancti-
 „tati vestræ debitam nunquam immu-
 „tabo.„ Hæc Lucemburgici Ducis epi-
 „stola haud magis secundum, ac prior,
 „fortiebatur successum, jam enim sin-
 „stra adversus Regem concepta opinio in
 „Romana Curia prævaluerat.

§. LXXIX.

*Papæ Nuntius in Franciam decretus
 unacum comminatione adversus
 Regios.*

Postquam copiæ, quas Papa in Fœde-
 ratorum opem submittebat, jam-
 jam una congregatæ discessum para-
 rent, Gregorius unacum hoc exercitu
 submittere voluit diploma, quo Præ-
 sulibus Regi hæretico adhærentibus ana-
 thema

thema intentabat: hoc ergo diploma deferendum committebat Marfilio Landiano Sedis Apostolicæ Nuntio unacum ingenti pecuniarum summa, quam ex Sixti V. thesauro ad arcem sancti Angeli reposito deprompserat, eo fine, ut hæ pecuniæ inter sexdecim Regionum Parisiensium Præfectos, ceterosque fœderis Duces in præcipuis Regni Urbibus distribuarentur.

Nuntius ergo prior proficiscitur diplomate, cujus mox meminimus, munitus: in eo autem Pontifex vehementer contra Gallos, & præcipue Clericos Regi adhærentes declamabat, istuumque utpote hæreticum, relapsum, atque anathemati obnoxium redarguebat, unde ii etiam, qui huic Principi favebant, hæretici, atque excommunicati declarabantur: dein Papa in fine Ecclesiasticos orat, atque obtestatur, imo etiam disertis verbis præcipit, ut intra præfixum tempus ab illis urbibus, quæ Henricum Borbonium tanquam Regem colunt, excedant, nullumque cum ejusdem fautoribus commercium habeant, indicta pœna, vi cujus priventur suis dignitatibus, ac beneficiis, ita, ut tanquam hæretici, ac Sectarii castigarentur: denique post plurimas hortationes, allatasque rationes Nobilibus etiam, populoque præcipit, ac mandat,

Hist. Eccles. Tom. LV. K. ut

Sæcul. XVI.
A.C. 1591.

Sæcul. XVI
A. C. 1591.

ut ab Henrico deficient, urbesque, quæ hæreticos recipiunt, deserant, ac sese veris Ecclesiæ filiis adjungant, qui in perfecta animorum conjunctione circa fidei Catholicæ articulos sese sacræ Sedi subjectos demonstrant, ac Christi Domini Vicarium reverentur. (*)

§. LXXX.

Hoc diploma Parisiis divulgatum.

*Mem. de
l'Etoil. t. 2.
pag. 42.
Maimb. hist.
de la Lig.
l. 4. p. 431.*

Hoc diploma feria quinta trigesima Maji Parisios delatum est, cumque Capitulum Ecclesiæ Beatæ Virginis exemplar illius accepisset, mox Seguerium Decanum hujus nominis Cancellarii Patrum ad Curia Senatores ablegabat, qui etiam omnes Curias ad alterum diem congregari præcepit, ut Pontificii hujus diplomatis promulgatio decerneretur: ergo præstituta die tertia Junii in Ecclesia Cathedrali hæc literæ recitantur, quæ postea etiam eadem die in quatuor præcipuis Ecclesiæ Cathedrali

(*) Si Continuator vel unicum hujus Pontificii diplomatis testem allegasset, certe Lectoribus suis suspicandi ansam præripuisset, hæc ab ipsomet Continuatore ultro vel conficta fuisse, vel ea, quæ in suo Thuano, aliisque ejusdem furfuris maledicis carptim annotata reperit, pro sæcunda sua fingendi libertate fuisse plus æquo exaggerata.